



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LVII. D. Engelbertvs XXXVI. Arch. XX. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

SECULUM XIII.

LV. BRUNO IV. XXXIV. ARCH.
XVIII. ELECTOR.

INter turbas Imperii & Coloniæ publicas Bruno IV. natus Comes de Sayn, in Archipræsulem delectus, exordium dignitatis suæ nactus est difficillimum, & viam virtutis arduam: Philippus enim Imperator Ottone æmulo prope Coloniâ in pugna decretoria victo, Brunonem in arce Wasserburgensi captum duxit captivum. Prosperè evenit captivo, amicitia vinculo conjunctos tandem fuisse Pontificem Innocentium & Cæsarem Philippum; tum enim vero confirmatus in Sede Principis sedit brevi tempore, 3. duntaxat annorum Præsul, forte meliori dignissimus.

LVI. THEODORICVS I. XXXV. ARCH.
XIX. ELECTOR.

Theodoricus Comes Heinsbergensis ab Ottone Philippi, licet jam viribus prævalentis Cæsaris, æmulo in sacram Coloniæ Sedem intrusus, è coetu fidelium ab Innocentio III. est ejectus, quòd nollet relinquere partes Ottonis ab universâ propemodum Ecclesia relictas. Annos circiter 8. duravit schisma pertinax Theodoici, tandem re & spe Sedis recuperandæ destitutus, dato sibi auro quievit.

LVII. D. ENGELBERTVS XXXVI. ARCH.
XX. ELECTOR.

D Engelbertus Montensis Comes, ab Imperatore Henrico VI. constitutus filio Friderico Moderator, à Coloniæ verò Canonicis Imperii Elector designatus, utrumque munus tanta integritate obiit, ut inter æquos rerum arbitros inventus fuerit nemo facile, qui plus ab eodem desideraret,

ret. Brovverus nunc compendiô comprehendens, nunc fusiùs describens D. Engelberti dotes egregias pag. 118. paucis vocabulis dixit rem maximam, dum inquit: *addunt de Engelberto, columnam Ecclesiæ, Cleri decus, columnam extitisse regni.* Tantum tamen ac tale columnen Fridericus Comes Isenburgicus ob Essendensis monasterii jura ab Electore hoc ritè defensa & custodita, 47. vulneribus è medio sustulit an. 1225. Sedis 9. Hanc à multis seculis vix auditam necem mox secuta omnium, præsertim in Germania inferiori Statuum admiratio, & indignatio justissima querelâ Christianum orbem implevit, præsertim verò cum volanti famæ accederent passim miracula multa legitimis testimoniis confirmata. *Lege Brovveri Annales Trevirens. & Gelenii Historiam de S. Engelberto editam.*

LVIII. HENRICVS I. XXXVII. ARCH.
XXI. ELECTOR.

Henicus Comes de Molenarck primas inter curas numeravit illam omnium maximam, qua vindictam de Comite Isenburgico, & scelerum conscii severissimam sumere constituit: quare sceleris tanti authoris bona fisco quamprimum sunt adjudicata: conjux ejusdem tametsi criminis minime particeps, mœrore contabuit. Fridericus Comes conscientia stimulis instar Caini agitatus aliquantisper vagus & profugus, denique Leodii interceptus, & impensis haud modicis Coloniam traductus infamique rotæ implexus, mirâ pœnitentiâ pœnas absoluit gravissimas. Audiamus Boveri hac super re compendium, quod ita habet pag. 124. *Extra D Severini portam Comes horrendo atque infami supplicio in rotam actus, dorsum interritus ad sedecim præbuit securis ictus; inde tortoris manum ad singula comminuenda frangendaque corporis membra ultrò exposcens, admirandæ fortitudinis ac constantiæ in perpetuendis suppliciis exemplo, omnibus Christiani hominis probè in morte persunctus officii, tam tetram in se receptam labem, magnitudine cruciatuum eluit, vel obscuravit.* Caterùm Henricus Elector vindicata D. Engelberti morte, opportuna occasio-
ne